

voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Quasi non
 legerimus Homerocentones, et Virgiliocentones: ac non sic etiam
 Maronem sine Christo possumus dicere Christianum, quia scrip-
 serit: «Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna; Jam nova
 progenies coelo dimittitur alto.» Et patrem loquentem ad filium:
 «Nate, meae vires, mea magna potentia solus.» Et post verba
 Salvatoris in cruce: «Talia praestabat memorans, fixusque mane-
 bat.» Puerilia haec sunt, et circulatorum ludo similia, docere quod
 ignores, immo ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem
 scire, quod nescias. Videlicet manifestissima est Genesis, in
 qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divi-
 sione terrae, de confusione linguarum et gentium, usque
 ad exitum scribitur Hebraeorum. Patet Exodus, cum decem
 plagis, cum Decalogo, cum mysticis divinisque praeceptis.
 In promptu est Leviticus liber, in quo singula sacrificia,
 immo singulæ penè syllabæ, et vestes Aaron, et totus ordo
 Leviticus spirant coelestia sacramenta. Numeri vero, nonne
 totius arithmeticæ, et prophetiae Balaam, et quadraginta
 duarum mansionum per eremum mysteria continent? Deu-
 teronomium quoque secunda lex et Evangelicae legis praefigu-
 ratio, nonne sic ea habet, quae priora sunt, ut tamen nova
 sint omnia de veteribus? Hucusque Moyses, hucusque Pen-
 tateuchus: quibus quinque verbis, loqui se velle Apostolus
 in Ecclesia gloriatur. Job exemplar patientiae, quae non
 mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur,
 pedestri sermone finitur; omnesque leges dialecticæ propositione,
 assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula
 in eo verba plena sunt sensibus. Et (ut de caeteris sileam)
 resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel
 manifestius, vel cautius scripserit. Scio, inquit, quod re-
 denptor meus vivit, et in novissimo die de terra resurrec-
 turus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne
 mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi